

die 11  
decembris.

4. *Quidni igitur, inquires, ad diem 11 decembris Acta S. Masonæ remittis? Fateor ex citato documento jam certum argumentum præberi ut sancto nostro dies ille attribuatur. Attamen, quum præter Joannem Tamayum eidem diem 1 novembris assignet Castellanus in suo Martyrologio Universali (nulla utique alia, ut videtur, nisi ejusdem Tamayi auctoritate nixus), contra vero præterquam in breviario illo ms. nusquam notetur ad diem 11 decembris; facilem, credo, excusationem apud eruditos habebimus si tractationem nostram de S. Masona ejusque prædecessoribus et successoribus non ad immensum illud temporis intervallum rejecerimus, eo magis quod hac occasione diu sane desideratam editionem accuratorem proferre licebit documenti illius quod merito inter præcipuos fontes historiæ Hispaniæ ecclesiasticæ in maximo pretio habetur, librum dico De vitis et meritis sanctorum Patrum Emeritensium, de quo jam distinctius agendum.*

*Librum de  
Vitis PP.  
Emeriten-  
sium  
primum  
ediderunt  
Barn. Moreno  
et Th. Ta-  
mayus,*

5. *Librum hunc primus vulgavit Barnabas Moreno de Vargas, Emeritensis urbis decurio (qui ejusdem urbis quoque historiam conscripsit), Matrity anno 1633, ex codice quem Emeritensi civitati donaverat Dux Complutensis Ferdinandus Henriquez de Ribera (1): qui codex quam antiquus fuerit ignoramus; editio autem ipsa innumeris scatet mendis. Deinde secundo, sed Moreni editionis inscius, Thomas Tamayus de Vargas Antverpiæ, apud Joannem Meursium, anno 1638, ex codicibus octo, quos his verbis recenset: 1. Ex ecclesiæ Toletanæ bibliotheca litteris gothicis exaratum. 2. Gothicum ex bibl. regia Hieronymiana apud Scoria-cum. Existimo olim fuisse ex Carazedano S. Va-*

(1) Ibid., p. 373; Florez, *Esp. Sagr.*, tom. XIII, p. 331, n. 32.